

jure incurrit; et si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum eo ipso amittit: quo modo isthæc posterior pœna (idem servata proportione dicendum de priori) intelligi poterit de quarta parte fructuum, tempore factæ legitimæ residentia percipientum; cum tamen episcopus prioribus sex mensibus illegitime absens, et postea aliis sex mensibus perseverans in ejusmodi absentia, supponatur toto anno nunquam resedisse? Placet igitur inhære responsioni per Lessium, ubi supra, datæ; nam novum non est, etiam in eadem compilatione juris et absque ulla inde sequente antinomia, seu contrarietate legum reperiri diversas pœnas transgressoribus statutas, quarum priores, ob hominum malitiam minus proficientes, aggravantur per posteriores, arg. can. 1. et seqq. dist. 29.

56. *Aliæ pœnæ episcopis non residentibus taxatæ. Remissive.* — Aliæ nonnullæ pœnæ episcopis non residentibus taxatæ, sicut et gratiæ, seu privilegia residentibus concessa, habentur in constitutione 10. Pii V. quæ incipit. *De salute.* Et constitutione 91. ejusdem Pontificis, *In suprema*: quarum utraq; refertur tom. II. *Bullarii Romani.* In constitutione 139. Urbani VIII. *Sancta synodus*: atque refertur tom. IV. ejusdem *Bullarii Romani*: ubi si placet, videri poterunt; nam veluti longiores, consulto hic omittuntur.

§ III.

DE RESIDENTIA PAROCHORUM, ALIORUMQUE CURATORUM.

57. *Quidnam generatim circa residentiam parochorum, aliorumque curatorum, et non residentias pœnas, statuerit concilium Tridentinum.* — Queritur I. Quidnam generatim circa residentiam parochorum, aliorumque curatorum inferiorum, et non residentium pœnas, statuerit concilium Tridentinum? Resp. I. Ista potissimum habentur in dicto concilio Tridentino, sess. 23. cap. I. § *Eadem omnino de Reform.* sequentibus verbis: « Eadem omnino (quæ de residentia episcoporum ibidem præmittentur) etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et pœnas de curatis inferioribus, et aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinet, sacrosancta synodus declarat, et decernit: ita tamen, ut quandocunque eos, causa prius per episcopum cognita, et

probata, abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquunt. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant. Quod si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult ordinariis, per censuras ecclesiasticas, et sequestrationem, subtractionem fructuum, aliaque juris remedia etiam usque ad privationem compellere; nec executionem hanc, quolibet privilegio, licentia suspendi posse. » Hæc ibi.

58. *Ibi tenentur jure divino residere, estque in eis strictior obligatio residentia, ac in canonicis.* — Ex quibus verbis inferitur primo, quod parochi, aliique curati, jure divino teneantur residere: nam ipsum pastorale officium exigit hoc in parochis, cæterisque curatis, sicut et in episcopis, conformiter dictis supra § 1. n. 10. et seqq. Unde consequens est, quod non omnes causæ, quæ excusant canonicos a residentia personali, æque excusent obtinentes beneficia curata: nam in his residentia obligatio oritur ex jure divino naturali; sicque est multo strictior et arctior præ illa, quæ ex solo jure ecclesiastico provenit. Fagnanus c. *Clericos* n. 8 et 15. h. t. Et hinc possunt quidem abesse duo canonici ob servitium episcopi, c. *De cætero*. 7. h. t. non tamen parochi, aliique curati, nisi ad duos duntaxat menses, juxta dicenda n. 94 et 95.

59. *Parochi, aliique curati non residentes, præter peccatum mortale, fructus, pro rata temporis absentia non faciunt suos, etc.* — Refertur secundo, quod parochi, aliique curati non residentes, præter peccatum mortale, quod incurrunt (nisi modicitas temporis absentia eos excuset, uti limitat Fagnanus c. *Relatum*. n. 44. h. t.) pro rata temporis absentia fructus non faciant suos; nec eos tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, retinere valeant. Nam hoc ipsum statuit concilium Tridentinum ibidem de episcopis, quibus « quoad culpam, amissionem fructuum, et pœnas, » æquiparavit curatos inferiores, uti liquet ex proxime relato textu concilii: unde redeunt dicta superius § præced. n. 50. et 51.

60. *Per decretum concilii Tridentini dispositio juris communis adversus parochos non residentes, in multis est immutata, et in quibus.* — Resp. II. Per allegatam decretum concilii Tridentini, sess. 23. cap. I. *de Reform.* dispositio

juris communis adversus parochos, aliosque curatos non residentes, in multis fuit immutata, et alterata. Ita Fagnanus c. *Ex tuæ*. n. 29. 30. et seqq. h. t. idque probatur inductione. Imprimis enim parochus non residens, de jure communi non perdit fructus ipso jure. Abbas cap. I. *de Celebrat. missar.* n. 8. quamvis nonnulli contradixerint. Nunc autem parochus, aliusque curatus non residens, pro rata temporis absentia perdit fructus ipso jure, ut dictum num. præced.

61. Deinde specta jure communi, beneficiarius non residens, si scitur, ubi sit, citari non potest per edictum, sed citari debet personaliter, c. *Ex parte*, 8. h. t. estque jam dictum supra § 1. n. 22. At vero juxta concilium Tridentinum potest citari « per Edictum, etiam non personaliter; » et si contumax fuerit, privari beneficio; uti liquet ex verbis, ejusdem concilii n. 57. relatis.

62. Tertio de jure communi beneficiarius non residens, si latitet, seu ignoretur, ubi sit, citari debet tribus edictis, ac post ultimum edictum debet expectari per sex menses, antequam privetur beneficio, c. *Ex tuæ*. 44. h. t. Nunc autem, hoc est, post concilium Tridentinum, sufficit indistincte, quod parochus, aliusque curatus non residens, citetur unico edicto peremptorio, cum competenti termino ad redeundum: quo relapso statim privari poterit. Siquidem concilium Tridentinum, ubi supra, simpliciter dicit, « Si per edictum citati — contumaces fuerint, liberum esse vult ordinariis — etiam usque ad privationem compellere. » Fagnanus loc. cit. n. 40. et n. 32. et seqq. nonnullas alias differentias inter jus commune, et concilium Tridentinum, quoad propositum subjungens.

63. *An parochi non residentes, sint compellendi ad residentiam juxta ordinem pœnarum in concilio Tridentino enumeratarum, variant doctores. Affirmativa sententia refertur.* — Resp. III. Utrum parochi, aliique curati, qui sive personaliter, sive per edictum citati, contumaciter adhuc absunt, sint compellendi ad residentiam juxta ordinem pœnarum in concilio Tridentino cit. sess. 23. cap. I. § *Eadem omnino*, enumeratarum, variant doctores. Affirmat Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 105, citans decisionem Rotæ in una Salamantina, die 5 decemb. 1567. coram card. Ceraphino, inter hujus impressas decis. 27. Idem tenet Ugolinus *ae Offic. episc.* cap. xv. § 4. n. 4 ac videtur de-

clarasse sacra Congregatio concilii die 6 decemb. 1576, dum asseruit, quod contra parochos tempore pestis non residentes, præmisso edicto, seu monitione, sit procedendum, prout concilium mandat sess. 23. cap. I. *de Reform.* Nempe prius per censuras; secundo per sequestrationem, et subtractionem fructuum; postea, si hæc remedia non prosunt, possit contra eos procedi per privationem: prout refert Fagnanus c. *Clericos*. n. 41. h. t.

64. *Opposita sententia videtur tenenda.* — Oppositam sententiam, videlicet ad privationem parochi ob non residentiam non esse necessarium, ut prius procedatur per alias pœnas, nempe per censuras ecclesiasticas, et per sequestrationem, ac subtractionem fructuum, etc. tenet Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 139. Castro Palao, tract. 13. *de Beneficiis*, disp. 5. punct. 3. n. 10. Flamin. Parisius, lib. I. *de Resignat. Benefic.* cap. X. n. 61. et Fagnanus, c. *Ex tuæ*. n. 48. h. t. Qui istud desumunt ex verbis citati concilii Tridentini, ponderando illa verba: « Liberum esse vult ordinariis: » et consequenter episcopus procedens contra curatum non residentem, non arctatur præcise ad observandum ordinem illarum pœnarum.

65. *Solvitur notabilis instantia.* — Nec obstat declaratio sacrae congregationis n. 63. relata. Nam loquitur in casu speciali, seu de parochis non residentibus tempore pestis, quia enim olim fuerat controversum inter theologos et canonistas, an eo tempore parochi personaliter residere tenerentur, de quo inferius n. 102. et seqq. noluit sacra congregatio, statim contra absentes procedi posse per privationem beneficii, nisi prius aliæ pœnæ per ordinem præmitterentur. Verum extra illud tempus generaliter consulta eadem sacra congregatio, an sit arbitrium episcopi, qua via, et quo remedio uti voluerit contra non residentes, nempe vel censuris, vel sequestratione et subtractione fructuum, vel privatione? Respondit, ita esse Fagnanus cit. c. *Ex tuæ*. n. 48. h. t.

66. *Parochus non residens, an sit ipso jure privatus beneficio.* — Dices. Parochus non residens, ipso jure est privatus beneficio; ergo frustra hæc quæstio movetur, simulque frustra concilium Tridentinum loc. cit. decrevit, liberum esse episcopo talem privare. Antecedens patet ex c. *Extirpandæ*. 30. § *Qui vero de Præbend.* ponderando illa verba: « Alioquin non residens, illa (seu Eccle-

sim parochiali) se sciat auctoritate hujus decreti privatum, libere alii conferenda; » Resp. neg. consequent. Quia, ut notat Garcias cit. cap. II. n. 139. et Castro Palao, ubi supra, n. 9. pœna illa privationis ipso jure, forte per desuetudinem fuerat abrogata; sicque hodie videtur cessare: unde nunc standum est memorato decreto sacri concilii Tridentini.

67. *De facto parochi aliique curati inferiores, non possunt abesse per duos menses, absque licentia episcopi.* — Quæritur II. Utrum parochus, vel alius curatus, possit abesse a sua parochia cum vel sine licentia sui episcopi; et quanto tempore? Resp. I. De facto parochi, vel alii curati inferiores, v. g. vicarii parochialium, aut coadjutores perpetui, non possunt abesse a suis parochiis, seu beneficiis curatis per duos menses, nisi ex legitima causa, per ordinarium loci approbata, et antecedente hujus licentia: alioquin peccant mortaliter, simulque fructus pro rata temporis absentiae non faciunt suos. Ita Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 93. et seqq.; Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 49. et 23. et Fagnanus *c. Relatum*, n. 32. h. t. Qui duo posteriores referunt, sacram Congregationem censuisse, quod parochi non possint sic abesse per duos menses, imo nec per hebdomadam absque licentia episcopi, quæ causa cognita, et in scriptis concedenda est. Eandem conclusionem tenent Piasecius, part. II. *Praxis episcopalis*, cap. II. art. 3. n. 25; Lessius, lib. II. *de Justit. et jur.* cap. xxxiv, dubit. 29. n. 159. et alii, contra Navarrum, cap. LII. *Manual*, n. 121. vers. *Et quamvis*; ubi arbitratur etiam post concilium Tridentinum posse parochum abesse duos menses absque licentia scripta, cum causa, quæ videtur ejus: cujus sententiam probabilem censet Azorius, part. II. lib. VII. cap. IV. quæst. 40. et Castro Palao, tract. XIII. *de Beneficiis*, disp. 5. punct. 5. n. 3. cum nonnullis, quos citat.

68. *Et quidem in scriptis, gratisque concedenda.* — Ratio conclusionis desumitur imprimis ex can. *Si quis in clero*, 7. q. 1. in quo Presbyter, si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit, triennio a communione suspenditur. Ubi Glossa *¶ Per tres*, illud intelligit, nisi absit de licentia superiorum confirmatur, atque probatur eadem conclusio, ex verbis concilii Tridentini n. 57. relatis ibi: « Discedendi autem licentiam in

scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant, » etc. ponderando ly: *Discedendi licentiam in scriptis*. Nam hæc verba satis indicant, etiam pro primo bimestri parochos non posse abesse sine licentia episcopi. Id ipsum declarasse sacram Congregationem concilii Tridentini ad cit. cap. I. sess. 23. refert Garcias, d. part. III. cap. I. n. 23. Et aliam talem declarationem ejusdem refert idem Garcias, part. IX. *de Beneficiis*, cap. II. n. 295. Nam cum episcopus Abulensis, de anno 1593. dictam sacram Congregationem inter alia consulisset: « Secundum, an parochi possint abesse duos menses absque ordinarii licentia ex causa, quæ sibi videtur justa, ut tradit Navarrus in *Manual*, cap. xxv. n. 121. » Respondit: « Ad secundum de licentia parochorum, censuit Congregatio, eos minime abesse posse absque Amplitudinis Tuæ (sive episcopi) licentia. » Hæc ibi.

69. *Proponuntur rationes oppositæ sententiæ.* — Dices cum Navarro, ubi supra. Ante concilium Tridentinum poterat parochus abesse per duos menses absque alia licentia, ex causa, quæ sibi justa videbatur, can. *Præsentium*, 7. q. 1. ergo idem licebat post Tridentinum. Præsertim, cum verba hujus, n. 57. relata, in utramque partem flecti possint: simulque a jure antiquo non sit recedendum sine jure novo expresso, l. *Præcipimus*, c. *de Appellationib.* Accedit, quod episcopus, qui magis residere tenetur, possit sine alia licentia per duos, vel tres menses abesse; ergo idem dicendum de parochis. Probatur consequentia, tum a majoritate rationis; tum quia concilium Tridentinum, cit. cap. I. sess. 23. generaliter fatetur, eos, qui aliquantisper tantum absunt, puta, per duos vel tres menses, non videri abesse, quia statim reversuri sunt. Tunc tandem, quia idem concilium loc. cit. § *Eadem omnino*, decernit, dicta ibidem de episcopis, pariter locum habere in curatis inferioribus.

70. *Atque respondetur ad eas.* — Ad has Navarri, et sequacium rationes, et imprimis ad priorem ipsarum, negatur antecedens: nam istud non esse verum, pluribus juribus firmat Garcias, part. III. *de Benefic.* cap. II. n. 22. et n. 90. ac 97. Neque urget can. *Præsentium*, 7. q. 1, quia huic opponitur alius canon, videlicet can. *Si quis in Clero*, ead. caus. 7, q. 1, juncto c. *Relatum*, 4. et Glossa *¶ Prælatorum*, h. t. Accedit, quod Adeodatus, de quo fit mentio in cit. can. *Præsen-*

tium, per duos menses abfuerit de licentia superioris; ut liquet ex illis verbis citati canonis: « Asserit namque Adeodatus, a Quintiano fratre, et coepiscopo nostro, in loco suo pro quibusdam se suis ordinandis negotiis relaxatum, » etc. Ubi ponderandum ly, *relaxatum*: sicque canon ille potius urget pro conclusione, et non contra eam. Prout etiam notavit Glossa fin. cit. can. *Si quis in Clero*, 7. q. 1. asserens, idem esse in utroque relato canone, quando presbyter abest de licentia superioris.

71. Ad alterum, nempe ad majoritatem rationis de episcopo, negatur consequentia. Quidquid etiam sit de antecedenti, seu quod episcopus magis residere teneatur, quam parochus (nam loquendo de residentia personali, ac spectato jure communi, tot. tit. *de Officio Vicarii*, episcopus propter molem negotiorum potest, ac ordinarie tenetur habere vicarium generalem, per quem possit sua negotia melius expedire; non item parochus) patet ex dictis supra n. 10. et seqq. et n. 57. et 58. quod non solum episcopus, verum etiam parochus, aliusque curatus, jure divino et naturali, atque vi sui officii pastoralis obstrictus sit, in loco beneficii residere. Accedit, quod concilium Tridentinum, declarans obligationem juris divini et naturalis, episcopis expresse concesserit absentiam duorum, vel trium mensium, per anni decursum: non item curatis inferioribus. Istis enim per relatum n. 57. textum, etiam absentiam per bimestre denegavit, non obtenta justis ex causis licentia Superioris, et substituto idoneo vicario, per episcopum approbando.

72. Neque urget, quod concilium Tridentinum cit. sess. 23. cap. I. § *Quoniam autem de Reform.* absentiam duorum, vel trium mensium, reputet modicam. Resp. enim, hanc quidem reputari ibidem modicam respectu episcopi; non autem respectu parochi, ut clare patet ex cit. cap. I. § *Eandem omnino*. Siquidem pro diversitate status, et conditionis personarum, temperari regulas sacrorum canonum, textus est in can. 1. dist. 29. Quanta autem sit diversitas dignitatis, status seu conditionis episcoporum, mole negotiorum spiritualium totius diœcesis gravatorum, atque idcirco jure ipso concedente, habentium proprium vicarium generalem, per quem junctis aliis consiliariis in corporali absentia sua possunt omnia necessaria commode expediri: et inter parochum, cu-

jus fides et industria personalis de jure requiritur, ac præsertim in administratione sacramentorum infirmitatis tempore parochianis necessaria est, quis non videt?

73. Ad ultimum patet ex verbis ejusdem concilii cit. n. 57. relatis, quod parochi æquiparentur episcopis « quoad culpam, amissionem fructuum, et pœnas, » nisi residerint: non vero quoad tempus licitæ absentiae. Atque istud posterius verisimiliter contigit ex eo: quia præter diversitatem dignitatis, seu status personarum, sacrosancta synodus Tridentina cognovit, pluram ovium commissarum damna, vel pericula ex absentia parochi oriri posse, præcipue ob defectum legitimæ administrationis sacramentorum, quam ex personali absentia episcopi idque ob rationes proxime dictas.

74. *Ad absentiam parochi per bimestre non sufficit licentia petita, nisi etiam fuerit obtenta, et in scriptis data.* — Resp. II. Adeo ad absentiam parochi, seu alterius curati per bimestre, requiritur licentia episcopi, ut non sufficiat, hanc ex rationabili causa fuisse petitam; nisi etiam fuerit obtenta, atque in scriptis data. Ita Abbas *c. Relatum*, n. 5. et Fagnanus *ibid.* n. 12. et 13. h. t. subjungens tamen, quod si clerico postulanti prælatus renueret licentiam impertiri, possit haberi recursus ad superiorem illius prælati: et subsistente rationabili causa, possit idem superior compellere prælatum inferiorem ad eam licentiam concedendam; prout censuit sacra congregatio concilii. Id ipsum tradit Garcias cit. part. III. cap. II. n. 37. et seqq. allegans declarationem sacre congregationis: et Barbosa cit. allegat. 53. n. 95. 96. et seqq. et alii. Ratio conclusionis desumitur ex verbis concilii Trident. cit. sess. 23. cap. I. *de Reform.* ibi: « Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, » etc., ac proinde non sufficit, licentiam illam duntaxat peti; sed oportet eam etiam concedi, et quidem in scriptis.

75. *Nisi occurrat causa gravis subito abscedendi, non patiens dilationem: et quid tunc agendum? Sola autem distantia ab episcopo, ad id non sufficit.* — Limitatur tamen data conclusio, nisi occurrat causa gravis, et necessaria subito abscedendi, quæ tantam celeritatem, requirit, ut non patiatur dilationem, sed sit periculum in mora petendi licentiam. Tunc enim curatus, relicto idoneo vicario, poterit discedere absque præhabita licentia ordinarii: nam necessitas non habet legem,

cap. iv. de Reg. jur. Ita tamen, ut hujusmodi curatus, quamprimum fieri poterit, teneatur certiorare ordinarium de discessu, atque necessitate occurrente, ut is de causa cognoscat; detque licentiam, nisi in brevi sit reversurus. Abbas c. *Relatum*. n. 6. et Fagnanus ibid. n. 14. et 33. et 43. h. t. Garcias, ubi supra n. 34. citans alios. Sola autem distantia loci ab episcopo, etiam cum necessitate discedendi, non excusat parochum, ut possit abesse a sua Ecclesia sine licentia in scriptis obtenta, nisi concurrat memorata necessitas moram non patiens. Fagnanus loc. cit. n. 27. et 33. Garcias cit. n. 34. ubi refert declarationem sacræ Congregationis concilii in terminis sic loquentem.

76. *Quanto tempore possit parochus abesse de licentia episcopi?* — Et si petas, quanto tempore possit parochus de licentia episcopi abesse a sua parochia ex gravi causa? Respondet Navarrus, consil. 15. n. 2. de Cleric. non resident. ex juxta causa pose sic parochum abesse, etiam ad multum tempus: ut facile (inquit) colligitur ex concilio Tridentino, sess. 23. cap. i. de Reform. juncto c. *Relatum*. h. t. Verum hæc sententia passim relinquitur ab auctoribus: ut videre est apud Garciam loc. cit. num. 45; Gonzalez ad reg. 8. cancellar. gloss. 6. num. 250; Zerolam in *Praxi episcopali*. part. I. §. *Parochus*, § 6. et alios: quin etiam apostilla ad cit. consil. 15. Navarri, ex declaratione sacræ congregationis, rejicit illam sententiam.

77. Alii itaque volunt episcopum, causa cognita et approbata, posse parochis dare licentiam abessendi a parochia ad duos, vel (gravi tamen de causa) tres menses. Fagnanus c. *Relatum*. n. 21. et 29. h. t.; Barbosa part. I. de *Offic. parochi*, n. 58, et 59. et seqq.; Garcias, part. III. de *Beneficiis*, cap. II. n. 22, asserens, quod ad bimestre tempus absentiae sufficiat quæcunque justa causa, veluti recreationis, aut visendi amicos, et hujusmodi: ultra bimestre autem requiratur gravis causa, et quæ talis episcopi arbitrio reputetur, juxta concilium Tridentinum cit. cap. i. ibi: « Discedendi autem licentiam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. » Et quamvis idem Garcias d. cap. II. n. 43. referat quamdam declarationem sacræ congregationis concilii, qua dicitur, episcopum posse pro visitatione uti parochi ad quatuor menses, constituto interim idoneo vicario: tamen hanc ipsam declarationem fuisse re-

vocatam per aliam, quam allegat, censet ibidem Garcias n. 42. et 44.

78. *Potest parochus ex causa, quæ sibi legitima videtur, abesse per unum, vel alterum diem sine licentia ordinarii, relicto interim idoneo vicario.* — Resp. III. Præmissis non obstantibus potest parochus ex causa, quæ sibi legitima videtur, per unum, vel alterum diem, imo et per sex, aut septem dies abesse sine alia licentia ordinarii: dummodo interim idoneum vicarium ab ordinario approbatum relinquat, neque obstet specialis constitutio episcopi. Prior pars, loquens de uno, vel altero die, videtur certa: nam, ut inquit Castro Palao tract. XIII. de *Beneficiis*, disp. 5. punct. n. 2. universalis consuetudo istud declarat, quæ est optima legum interpretis: c. *Cum dilectus*. 8. de *Consuetud.* cum similibus. Nec immerito: nam qui paulisper tantum abest, non videtur abesse; uti fatetur concilium Tridentinum cit. sess. 23. cap. i. de *Reformat.* Unde in simili « brevi reversa uxor, nec divertisse videtur, » juxta textum expressum l. *Quidquid in calore*. ff. de *Reg. jur.*

79. *Imo et per sex, aut septem dies, non vero per hebdomadam.* — Altera pars, loquens de sex vel septem diebus, est majoris difficultatis. Etsi enim Castro Palao cit. n. 2. et Barbosa part. III. de *Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 106, citans Possevinum de *Offic. curati*. cap. i. n. 13. et seqq. doceat parochum posse abesse ex causa, quæ sibi legitima videtur, etiam per hebdomadam, sive per octo dies, relicto tamen idoneo vicario, absque alia licentia ordinarii: nihilominus, ut refert Garcias part. III. de *Beneficiis*, cap. II. n. 23. et Fagnanus c. *Relatum*. n. 32. h. t.; sacra congregatio concilii super cap. i. sess. 23. de *Reform.* inter alia declaravit, quod parochus « nec possit per hebdomadam abesse: non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto vicario idoneo, ab ipso ordinario approbato. » Quia tamen hæc ipsa declaratio excipi duntaxat integram hebdomadam, videtur oppositum sensisse de sex, vel septem diebus, arg. l. *Quæsitum*. § *Denique*. ff. de *Fundo instructo*: et c. *Nonne*. 5. de *Præsumpt.* cum similibus. Neque enim ex tam modica absentia parochi, constitutis interim idoneum vicarium, morale aliquod concredatarum ovium, seu parochianorum, periculum oriri censetur.

80. *Idque confirmatur ex sententia sacræ congregationis.* — Accedit, quod sacra con-

gregatio interrogata per parochum Orliensem, an liceret sibi ab ecclesia, sex, aut septem diebus, abesse causa invisendos suos parentes senes, et pauperes? Responderit, id licere: prout refert Fagnanus cit. c. *Relatum*. n. 25. et 26. h. t. Nec obstat, quod idem Fagnanus loc. cit. dicat, sacram congregationem hac sua responsione solummodo declarasse, quod visitatio parentum senum, et pauperum, sit sufficiens causa, ob quam episcopus possit parochi concedere licentiam discedendi ad sex, vel septem dies. Nam, cum nulla super justitia hujus causæ possit oriri, aut orta fuerit controversia (filii quippe jure naturali, et divino, debent parentibus reverentiam, et pietatem) verisimile non est, vel parochum Orliensem desuper interrogare, vel sacram congregationem respondere voluisse; sed solum, an id liceat parochi, nimiram absque alia episcopi licentia.

81. *Sine ulla rationabili causa parochus absens graviter peccat.* — Additur tamen in data conclusione, « ex causa, quæ sibi (hoc est, parochi absque alia episcopi licentia, sicque sine hujus judicio super æquitate causæ, discessuro) legitima videtur. » Nam sine ulla causa rationabili, ac mero vagandi animo, parochus a suis ovibus sese absentans, graviter peccat; cum faciat contra naturalem justitiam, qua ipsemet ex suscepto officio tenetur ovium Christi sibi commissarum curam gerere, sicque residere: adeo, ut cessante alia justa causa, non sufficiat istud præstare per constitutum vicarium, cum fuerit electa fides, atque industria personæ ipsius. Barbosa cit. allegat. 53. n. 106. et part. I. de *Offic. Parochi*, cap. VIII. n. 40. cum aliis.

82. *Parochus justa de causa absens, tenetur relinquere idoneum vicarium.* — Additur ulterius in conclusione, « dummodo interim idoneum vicarium, » etc. Quia, ubi parochus, vel alius curatus abest justa de causa, sive cum licentia superioris, sive absque ea per aliquot dies, semper tenetur relinquere idoneum vicarium, seu clericum substitutum, atque in suo episcopatu admissum pro administratione sacramentorum, qui interim pro se populo inserviat. Et ita decrevit concilium Tridentinum cit. cap. i. sess. 23. § *Eadem omnino*, ibi: « Quocumque eos — abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquunt. » Barbosa d. allegat. 53. n. 106; Castro Palao cit. punct. 5, n. 2. et alii.

83. *Et quid, si absit duntaxat per unum, vel alterum diem non festum?* — Fatendum quidem non deesse doctores istud limitantes, quando nullum subest morale periculum necessitatis substituendi aliquem vicarium: puta, quia nullus est in parochia infirmus. Nam quod tunc per unum, vel alterum diem non festum, licite possit abesse curatus, nullo interim constituto vicario, censet Castro Palao, cit. n. 2. et Barbosa, d. allegat. 53. n. 106, asserens etiam per tres dies posse curatum sic abesse. Verum hæc sententia, præsertim biduum, aut triduum talis absentiae concedens, in praxi est difficilis, nec facile toleranda per superiores; eo quod ob millesimos casus, quibus exposita est vita, salusque spiritualis parochianorum, vix unquam cognosci valeat, hic et nunc nullum subesse morale periculum parochianorum, etiamsi nullus in parochia reperiatur actualiter infirmus. Unde idem Barbosa part. I. de *Offic. parochi*, cap. VIII. n. 44, rigidus incedit, ubi talem parochi absentiam, nullo constituto vicario, permittit quidem ad aliquot horas, sed illico subjungit: « Abesse vero tota die, quando nullus infirmatur, raro in anno, nec laudo, nec vitapero: abesse autem per duos, vel tres dies nullo infirmante, et nulla alia causa justificante, habet valde de rationabili esse mortale, propter multa, quæ possunt eo tempore evenire, maxime in villis, ubi non est alius sacerdos a parochi. » Hæc ille, citans pro hac sententia Ludovicum de sancto Joanne, tit. de *Resident.* n. 8. et Possevinum, de *Officio curati*, cap. i. n. 4.

84. *Episcopus potest parochis prohibere sub pena pecuniaria, ne ultra biduum a propriis Ecclesiis absint sine sua licentia.* — Deinde limitatur data conclusio, quando adest constitutio episcopi, prohibens parochis, ne ultra biduum sine sua licentia a propriis ecclesiis absint: tunc enim parochi, etiam stante causa rationabili, et constituto idoneo vicario, non possunt ultra biduum, et consequenter nec per hebdomadam abesse sine licentia ordinarii. Et quidem, quod valeat episcopus prohibere parochis sub pena pecuniaria arbitraria, quæ tamen dimidiam non excedat, ne ultra biduum a sua ecclesia possint abesse, non vero sub pena excommunicationis latæ sententiæ; fuisse declaratum a sacra congregatione concilii Tridentini, sess. 23. cap. i. de *Reform.* refert Garcias cit. part. III. de *Benefic.* cap. II. n. 23. et Barbosa, part. I. de *Offic. Parochi*, cap. VIII. n. 45. allegans in-